Ad picturę iſtius Spectatorem, Epigramma Bartholomæi Laurentis (cognomento vulgari Poin) Nouimagen̄, commendatorium Agrippinenſis Carthuſię & D. Dionyſij à Rickel, Carthuſiæ Ruræmundenſis in Geldria, dum vixit, alumni.

Ne tibi ſit mirum, Spectator imaginis huius,
Hîc depictorum quid ſibi ſingla velint,
Neû ridere queas non intellecta: parumper
Expecta: breuis hic rem tibi ſermo dabit.
Qui geniclatur humi, Doctor Dionyſius ille eſt,
Carthuſum amplexus nomine req; ſtatum:
Doctor, ab ecſtaſibus, quas pertulit ille frequẽtes,
Haud præter meritum dictus & Ecſtaticus.
Hunc prope quę cernis congeſta volumina multa,
Multa & magna eius ſunt monimenta viri,
Immenſis Crœſi tanto pręſtantia gazis,
Excedit quanto flaua moneta cuprum.
Nam Virgo, cuius ſinui tener inſidet Infans,
Qui librum oblatum captat vtraque manu,
Notior atque magìs clara eſt, Spectator acute,
Quàm tibi, quæ ſiet hæc, dicier vt ſit opus.

Sed quę virgo ſuis geniclantem amplectitur vlnis,
A dextris & cui myſtica turris adeſt,
Quæq; volumen, vtì medians, obtendit IESV,
Eſt Carthuſiacæ magna patrona Domus,
Agrippinatûm celebri notiſſimæ in vrbe:
Cui Domui, modò quòd Riclus in ora hominũ
Prodijt, acceptum ſoli referatur oportet.
Hæc niſi enim egiſſet, fortè lateret adhuc.
Fortè lateret adhuc? imò hæc certiſſima res eſt,
Nunquàm emerſurum téve tuóſve libros
Ricle fuiſſe, Agrippinâs Carthuſia ni illud
Principio obnixè ſuſtinuiſſet onus.
Hoç igitur voluit præſentis imaginis Author,
Vt ſcires quorum ſedulitate Virûm
Prodiſſet clarus Doctor Dionyſius, vtq;
Ingratus ne tu Spector amice fores.